G3.

INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER HIEMEM

ANNI MDCCCLI — II A DIE XIV OCTOBRIS

INSTITUENDARUM.

KÖN. PR. GYMNASIUM ZU DÜSSELDORF

BRUNSBERGAE,
TYPIS HEYNEANIS.

BRAU 2

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS
RECTOR ET SENATUS
CIVIBUS SUIS
S.

In disciplinis theologicis ea, quae historia dogmatum vocatur, fere recentissima est. Cujus separatim tractandae auctor clarissimus ille Dionysius Petavius est censendus, qui egregium suum opus de theologicis dogmatibus,[1]) et sincerae fidei et altae eruditionis documentum, magis historica quam dogmatica ratione conscripsit. Nec potuit quidquam ad refutandos eos, qui ecclesiam catholicam a genuina Christi doctrina temporum cursu defecisse contenderent, videri aptius, quam quum certis continuisque omnium saeculorum testibus adhibitis demonstraretur, ea prorsus omnia, quae nunc ad fidem catholicam pertinerent, firmo apostolorum ipsiusque Salvatoris fundamento contineri.

Quod tamen doctrinae theologicae genus, a Petavio quasi inventum summaque religionis utilitate tractatum, per longum temporis spatium apud catholicos quidem omnino jacebat desertum. Id quod ob eam maxime evenit causam, quoniam temerarii auctoritatis divinae contemptores, qui falsa sua atque impia placita primo per Angliam, tum per Galliam et Germaniam, immo per totam Europam diffundebant, in dogmatum historiam ut in propriam provinciam irruerunt, et mira quadam levitate atque audacia dederunt operam, ut omnem doctrinae christianae originem et progressum obscurarent suisque opinionibus accommodarent. Quid? quod Semlerus ipse theologus, quasi per ironiam, dogmatum tractationem historicam idcirco potissimum commendavit, „ut juvenibus litterarum theologicarum studiosis oculi judiciumque aperirentur illisque origo, propria natura

[1]) Primo ed. Lutetiae Par. 1644—50; IV T. T.

verumque theologiae dogmaticae pretium indicaretur.“[2]) Quae quum ita essent, celeberrimus litterarum orientalium cultor Tychsen, in epistola quadam anno 1794 scripta, justo conquestus est: „Novaturientibus nostris theologis nunc in deliciis est dogmatum historia, qua rite aut perverse cribrata, Christum divinitate nudare et positivam theologiam negare se posse uno ore profitentur.“[3])

Quodsi igitur ii, qui historiae dogmatum tractandae operam dederunt, fere omnes, quamvis viri essent eruditissimi, illud agerent talemque finem sequerentur, non mirandum est, hominibus catholicis, qui germanam atque integram Christi doctrinam ab ecclesia se accepisse confidunt, disciplinam theologicam suspectam fuisse, quippe quae una cum fidei christianae constantia et firmitate ipsum theologiae studium funditus videretur tollere. Atque justa illa suspicio tum demum desiit, quum, sanctorum patrum studio imprimis a praestantissimo nostro Moehlero denuo incitato iisque, quae Petavius jam congesserat, resumtis diligenterque examinatis, recta et fidei catholicae congrua notio historiae dogmatum efformata atque ab omnibus recepta est.

Theologus enim catholicus dogmatum historiam non potest definire, ut sit „narratio illarum immutationum, quas doctrinae christianae pars dogmatica inde ab initio usque ad hoc tempus experta sit.“[4]) Namque non potest id concedere, in quo ut in fundamento ista definitio consistit: „dogmata nempe christiana inde ab origine sua innumeris vicissitudinibus subjecta fuisse, quae vel ad eorum argumentum pertinerent, vel ad explicationis et comprobationis rationem, vel ad proprium valorem dijudicandum, vel denique ad ordinem modumque illa docendi.“[5]) Immo vero quisquis ecclesiae catholicae addictus est, multum abest, ut talia possit tolerare, ut firma fide profiteatur, Christum dominum hoc potissimum consilio ecclesiam suam instituisse, ut omnia dogmata divinitus revelata, ad

[2]) Einleitung zu S. Baumgarten's Glaubenslehre. Halle 1759. B. I. p. 101.

[3]) Conf. Baumgarten Crusius, Lehrbuch d. christl. Dogmengesch. I. Abth. Jena 1832. p. 18.

[4]) „— die historische Darstellung der Veränderungen, welche der dogmatische Theil der christlichen Religionslehre von ihrem Ursprunge an bis auf die gegenwärtige Zeit erfahren hat.“ Augusti, Lehrbuch d. christl. Dogmengesch. 4. Aufl. p. 5.

[5]) Münscher, Lehrbuch d. christl. Dogmengesch. 3. Aufl. (von Coelln). Erste Hälfte. p. 2.

aeternam salutem assequendam necessaria integra atque incorrupta usque ad finem temporum conservaret omnibusque hominum gentibus communicaret.

Quamquam nullo modo negandum erit, esse quoque certam christianae doctrinae amplificationem certumque progressum, quo in genus historicum cadat. Sed est amplificatio doctrinae jam ab apostolis, quoad totam substantiam, absolutae, nec vero novorum fidei capitum accessio; est progressus, nec vero permutatio. Id quod summa cum perspicuitate Vincentius Lerinensis demonstrat, dum in laudatissimo suo Commonitorio (cap. 28) sic scribit: „Sed forsitan dicit aliquis: Nullusne ergo in ecclesia Christi profectus habebitur religionis? Habeatur plane et maximus . . . sed ita tamen, ut vere profectus sit ille fidei, non permutatio; si quidem ad profectum pertinet, ut in semetipsam unaquaeque res amplificetur, ad permutationem vero, ut aliquid ex alio in aliud transvertatur. Crescat igitur oportet . . . tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia, sed in suo duntaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu eademque sententia.“ —

Hanc fidei christianae amplificationem, hunc profectum ecclesia catholica, quae semper Spiritu sancto ut infallibili magistro utitur, ita per saeculorum decursum confecit, ut regulam fidei, quae initio admodum brevis ac simplex erat, pro temporum opportunitate et necessitate, non permutaret, sed amplificaret; utque praeterea dogmata ab haereticis in discrimen vocata conciliorum generalium decretis et canonibus explicaret, definiret, confirmaret. Qui igitur fidei profectus, licet a singulis hominibus sive errore philosophico sive haeretica audacia[6]) sive etiam rationibus prorsus externis provocatus fuerit, tamen ipsi ecclesiae catholicae a Spiritu sancto

[6]) „Multa quippe ad fidem catholicam pertinentia, dum haereticorum callida inquietudine exagitantur, ut adversus eos defendi possint, et considerantur diligentius et intelliguntur clarius ac instantius praedicantur: et ab adversario mota quaestio discendi exsistit occasio.“ S. Augustinus de Civ. Dei. L. XVI. c. 2.

gubernatae tribuatur necesse est, quippe quae depositum fidei ipsi commissum omnibus fidelibus pro illorum indigentia ac facultate explicare ac declarare debeat. Neque vero in doctrina catholica a conciliis generalibus pro temporum necessitate explicata ac confirmata quidquam potest esse, quin summa fidei apostolicae jam fuerit contentum; nihil enim aliud conciliorum decretis ecclesia vult consequi, quam ut ex institutione sua doctrinam apostolicam secundum temporum ingeniorumque progressum et docilitatem magis explicet accuratiusque definiat.

Illius igitur successivae dogmatum explicationis et definitionis enarratio, si arte et scientia suscipitur, illa disciplina theologica est, quam dogmatum historiam merito possumus appellare.[7]) Qua disciplinae notione constituta, sponte elucet, quantum absit, ut illud studiorum genus sit perniciosum, ut cum magna religionis utilitate possit suscipi. Quum enim ante oculos ponat, quo modo quaque ratione depositum fidei apostolicae per saeculorum decursum magis magisque amplificatum conciliorumque decretis sic efformatum et definitum sit, ut nunc conspicitur: non solum ipsius, qui tali doctrinae vult operam impendere, fidem confirmabit locupletabitque, sed etiam ad modum idoneum eum reddet ad adversariorum sententias fidei catholicae stabilitati atque constantiae contrarias refellendas. Quin etiam licet contendere, dogmatum historiam non parum posse afferre, ut ii omnes, qui de veritate religionis christianae firmam fidem adhuc omnino servarunt, tandem plenam ecclesiae catholicae doctrinam agnoscant. Talem enim studii veterum scriptorum ecclesiasticorum, in quo dogmatum historia maxime consistit, futurum esse effectum, jam indicia haud incerta non solum in Anglia sed etiam in Germania obvia demonstrant. Ut omittamus ceteros, Hagenbachius in libro, quem de hac re multa eruditione multaque aequitate scripsit, quamvis haereticis perturbetur

[7]) Conf. Klee, Lehrbuch der Dogmengesch. B. I. p. 7. Staudenmaier, die christl. Dogmatik. B. I. p. 201. — Quam merito talis dogmatum tractatio possit vocari historia, aptissime demonstrat Kuhnius in „Tübinger theol. Quartalschrift," 1850. 2. Heft. p. 284 seqq.

erroribus, definitionem suam verae dogmatum historiae notioni valde accommodat. „Historia dogmatum," sic enim definit, „ea est disciplina, quae successivam fidei christianae explicationem, confirmationem et in certam doctrinam efformationem, necnon quas varias formas haec doctrina variis temporibus induerit, quasque permutationes, ingeniorum et studiorum varietate concitante, experta sit — via ac ratione describat." [8])

Jam vero perspicuum profecto erit, nullum alium nisi qui catholicae fidei addictus sit, vel qui protestantium libros symbolicos religiose amplectatur, historiam dogmatum posse conficere, quae quidem nomine atque gravitate disciplinae theologicae digna sit. Namque illi, qui falsa philosophia decepti mundum ejusque auctorem permiscent, historiam dogmatum christianorum ab historia ipsius philosophiae separare nequeunt; qui vero more incredulorum saeculi praeteriti speciem quandam Dei creatoris et gubernatoris mundi retinent, in progressu et amplificatione fidei christianae nihil aliud agnoscunt, nisi speculum quoddam stultitiae humanae; atque ipsi Christiani, qui minus sacrorum bibliorum doctrinam, quam eorum voces ac formulas servare cupiunt nullumque omnino progressum fidei concedunt, abhorreant necesse est dogmatum historiam, quippe quae nihil aliud possit monstrare, quam fidei corruptelam ac ruinam. Itaque ex acatholicis ii tantum, qui libris symbolicis fideles remanserunt, id possunt intendere, ut comprobent, summam fidei apostolicae non permutando in doctrinam librorum symbolicorum redactam esse, sed explicando et declarando, quo facto et doctrinae Christianae progressum et dogmatum historiam finiri. [9]) Quamquam admodum in dubium vocandum nobis videtur, ejusmodi finem illos esse consecuturos!

[8]) Hagenbach, Lehrbuch der Dogmengesch. Th. I. 2. Aufl. p. 1. „Die Dogmengeschichte ist die wissenschaftliche Darstellung der allmäligen Entwickelung, Verfestigung und Ausbildung des christlichen Glaubens zu einem bestimmten Lehrbegriff; der verschiedenen Gestalten, welche dieser Lehrbegriff im Laufe der Zeiten angenommen und der Veränderungen, die er unter dem Einfluss verschiedener Zeitbildung erlitten hat."

[9]) Sic Zieglerus secundum Augusti, Dogmengesch. p. 15.

Ab eodem fundamento doctrinae apostolicae proficiscens [10]) nostra dogmatum historia etiam eo verae et genuinae historiae indolem prae se fert, quod fidei profectum nunquam praecidat temporique futuro aliquid relinquat; quamvis in promptu sit, in posterum rarissime fore necessarium, ut ecclesia novos haereticorum errores coerceat ac dogmata ab illis petita infallibili auctoritate declaret, explicet, definiat.

Quibus propositis jam tota ratio, quae inter historiam dogmatum ceterasque theologiae disciplinas intercedit, totaque nostrae doctrinae vis et vera notio perspicitur. Olim quidem ea, quae historiae dogmatum tribuimus, partim in theologiam dogmaticam partim in universalem ecclesiae historiam cadebant ibique tractabantur; omnis enim dogmatum probatio, quae patrum testimoniis continetur, ad dogmatum historiam pertinet, atque haec ipsa summa praecipuaque pars est historiae universalis ecclesiasticae, a qua propterea maxime nostro tempore segregata est separatimque tractatur, quoniam etiam per se latissime patet propriumque studium ob summam utilitatem efflagitat. Spectat enim ad eam et theologiae patristicae disciplina fere omnis et errorum haereticorum tractatio, quantum quidem in causa fuerunt, ut ipsa fides catholica magis definita sit.

Jam vero quoniam historia dogmatum saepissime cum historia theologiae dogmaticae confunditur, harum disciplinarum, re maxime inter se cohaerentium, cognitione differentium, ratio probe perspicienda est. Quae quidem disciplina historia theologiae dogmaticae nuncupatur, ea enarrare contendit, quantam operam theologi in eo posuerint, ut singula fidei christianae capita in unum systema congerant unoque vinculo inter sese connectant atque ex unica quadam summa veritate omnia quasi profluere

[10]) Inde itaque dogmatum historiam incipimus, ubi theologiae biblicae, quae vocatur, exitus est. Haec enim disciplina e scripturis sacris enarrat, quomodo inde ab initio usque ad temporis plenitudinem Deus sapientissimus homines paulatim res divinas omnemque veritatem docuerit; illa vero maxime e sanctis patribus exponit, quomodo summa doctrinae revelatae in hodiernam formam sit amplificata.

demonstrent. [11]) Tota igitur dogmatum tractatio, quae in historia theologiae dogmaticae describitur, a singulis hominibus suscipitur propriaque ratione vertitur, quae tum solum ab errore potest vacare, quum infallibilis ecclesiae doctrina nititur; at vero illa dogmatum amplificatio, quae in historiam dogmatum cadit, licet a singulis hominibus ejus instituendae fuerit data occasio, tamen omnis ab ecclesia ipsa suscipitur infallibiliterque a Spiritu sancto gubernatur. Itaque historia theologiae dogmaticae non tam ipsorum dogmatum progressum enarrat, quam theologorum, qui in illis perscrutandis operam posuerunt; at dogmatum historia in ipsius fidei divinae profectu describendo versatur, qui quidem profectus ab ecclesia ad hominum utilitatem perficitur.

Sed nunc quidem de his satis dictum sit; confectum enim videtur, quod potissimum fuit propositum. Perspicietis jam, Commilitones carissimi, quae sit historiae dogmatum vera notio veraque utilitas; ex hac quoque disciplina, si duce securo illi operam tribuetis, haud parvum proficietis. Valete.

[11]) Conf. Klee, Dogmengesch. B. I. p. 9.

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGICI.

MICH. JOS. KRUEGER, Lic. P. P. O. h. t. DECANUS.

I. Introductionem generalem in Biblia Sacra tradet, cui adjunget disputationem de arte critica et hermeneutica sacra diebus Lunae, Mercurii et Veneris hora VIII—IX.

II. Jeremiam prophetam interpretabitur diebus Martis, Jovis et Saturni hora VIII—IX.

III. Epistolam ad Hebraeos datam explicabit diebus Mercurii et Veneris hora III—IV.

ANT. EICHHORN, Dr. P. P. O. h. t. RECTOR.

I. Historiam ecclesiasticam aevi medii enarrabit diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis hora IX—X.

II. Archaeologiam ecclesiasticam tradet diebus Veneris et Saturni h. IX—X.

III. Patrologiam sive historiam literaturae christianae docebit diebus Lunae et Martis h. III—IV.

A. MENZEL, Lic. P. P. E. Des.

I. Theologiam dogmaticam continuabit diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris hora X—XI.

II. Introductionem encyclopaedicam in universam theologiam tradet diebus Lunae et Jovis h. II—III.

III. Repetitiones et disputationes dogmaticas moderabitur die Saturni hora X—XI.

ANT. PASCHKE, Lic.

I. Ethicam christianam, quae doctrinâ de Sacramentis baptismi, poenitentiae et confirmationis tribusque prioribus Decalogi praeceptis continetur, praemissis praemittendis docebit diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis hora XI—XII.

II. Epistolam S. Pauli ad Romanos datam explicabit diebus Veneris et Saturni hora qua supra.

B. ORDINIS PHILOSOPHICI.

LAUR. FELDT, Dr. P. P. O. h. t. DECANUS.

I. Exercitationes geometricas moderabitur, praemissa introductione de studiis mathematicis recte ordinandis, diebus Lunae et Jovis h. II—III.

II. Geometriam sublimiorem secundum librum a cel. Biot editum: Essai de Géométrie analytique etc. illustrabit diebus Martis et Veneris h. II—III.

III. Physicen experimentalem docebit experimentisque illustrabit diebus Lunae et Jovis h. XI—XII.

IV. Astronomiae elementa ita explicabit, ut ab iis etiam, qui mathesi sublimiori discendae non dederunt operam, intelligi possint, diebus Martis, Mercurii et Veneris h. XI—XII.

CAR. BIESTER, Dr. P. P. O. Des.

I. Herodotum interpretabitur diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. X—XI.

II. Ciceronem de natura Deorum diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. III—IV.

III. Collegium stylisticum practicum habebit bis per hebdomadem horis definiendis.

MAX. TRUETSCHEL, Dr. P. P. O. Des.

I. Metaphysicam docebit quinquies per hebdomadem diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris hora matutina VIII—IX.

II. Logicam docebit quater per hebdomadem diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris hora vespertina V—VI.

III. Aristotelis de metaphysica libros praecipuos offert interpretandos bis per hebdomadem horis definiendis.

IV. Exercitationes repetitorias et examinatorias offert die Saturni h. VIII—IX.

FRANC. BECKMANN, Dr.

I. Vitae privatae et publicae morumque et artium optimarum sive culturae quae vocatur historiam exponere perget quater per hebdomadem hora VI—VII.

II. Ordinis Teutonici historiam enarrabit bis per hebdomadem horis definiendis.

III. Selecta poetarum Germanicorum carmina interpretabitur bis per hebdomadem hora VI—VII.

STIPENDIUM SCHEILLIO-BUSSIANUM.

Quaestio a Lyceo Regio Hosiano ad certamen literarium anni MDCCCLI—II proposita:

> Exponatur methodus, qua confessarii per prima quatuor saecula ecclesiae christianae usi sunt in administrando poenitentiae sacramento — sermone latino.

Praemium constitutum est XXI Imperialium. Tempus exhibendarum scriptionum terminatum est die I. Jul. MDCCCLII.



P. O. DES.

I. Metaphysica … nadem diebus Lunae, Martis, Mercurii … a VIII—IX.

II. Logicam doc … iebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris …

III. Aristotelis d … offert interpretandos bis per hebdoma…

IV. Exercitation… …ert die Saturni h. VIII—IX.

…DR.

I. Vitae privat… …rtium optimarum sive culturae quae … …rget quater per hebdomadem hora V…

II. Ordinis Teu… … per hebdomadem horis definiendis.

III. Selecta poet… …nterpretabitur bis per hebdomadem h…

STIPEN… …-BUSSIANUM.

Quaestio a Lyce… …literarium anni MDCCCLI —II proposita:

Expona… …per prima quatuor saecula ecclesia… …nistrando poenitentiae sacrament…

Praemium const… Tempus exhibendarum scriptionum term… …II.
